

Zeitschrift:	Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber:	Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band:	- (1752)
Heft:	25
Artikel:	I. Conradi Schwartz [...] nova designatio finium veteris Helvetiae, longius, quam vulgo solet, protrahendorum
Autor:	Schwartz, J. Conradus
DOI:	https://doi.org/10.5169/seals-394713

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 19.05.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

(*) JO. CONRADI Schwartz /

Poës. Prof. P. & Lat. L. Ext.

NOVA DESIGNATIO

FINIUM VETERIS HELVETIAE,

longius, quam vulgo solet, protrahendorum.

Ad Perillustrem & Excellentissimum Dominum,

D. GOD. GUILIELMUM de LEIBNIZ,

Sereniss. Potentiss. Electoris, Ducis Brunsie. & Luneburgens. Consiliario Intimo. &c.

Domino Suo Gratiissimo.

Perillustris & Excellentissime Domine!

Persæpe mihi cogitanti de dissensionibus eruditorum, in mentem venit eorum perversitas, qui scriptoribus antiquis vel in rebus plane falsis clarissimam veritatem affingunt, vel in obscurioribus fidem omnem detrahunt.

Utrique

(*) Paradoxa hæc Dissertatio Coburgi ad d. 30. Decembr. An. MDCCX. Defendente Frider. Zollmanno, Coburgensi publicæ ευζηήσει fuerat proposita: Hanc diu a multis desideratam & frustra hactenus a me quæsitam, utpote albo corvo rariorem, ut ab interitu assertam huic Museo Helveticō inferrem, pro suo in promovendas litteras

Utrique malo multa quæsita sunt & parata reme-
dia: sed unum illud omnium fere nobilissimum
videtur, ut suas quisque conjecturas in conspe-
ctum eruditorum hominum venturas suspicetur.
Optimus enim quisque existimatione sapientium
virorum movetur maxime & errorum suspicio-
nem effugere gestit. Quo magis mihi nunc ratio
constabit, qui, conjecturas quasdam meas literis
mandaturus, nemini me potius probare cupio,
quam Tibi, Vir Excellentissime! Etenim humana
sapientia nihil habet tenebris quibusdam involu-
tum, in quo TU vacillares et offenderes; nihil
in propatulo collocatum, quod TU non dudum
perlustraris, expenderis, et memoria comprehen-
deris. Nam inventiones veterum mathematico-
rum habent eæ quidem apud intelligentes mag-
num pondus; sed tamen universæ, Tuis ex alte-
ra parte collocatis, vix minimi momenti instar
habere videntur. Qua quidem in re major literis
nostris affulsa felicitas, quam Coæ quondam Ve-
neri. Hujus enim os & summa pectoris ab Apelle
inchoata, nemo pictor repertus est, qui absolve-
ret: nostræ vero litteræ per TE cum primis vete-
rum eximiam subtilitatem non solum assequun-
tur, sed etiam longissime præcedunt. Omnino
si unius matheseos terminis Tua circumscriberen-
tur inventa; tamen ad supremum gloriæ gradum
adscendisse viderere: nunc vero cum reliqua eti-
am philosophia, cum historia, cum jurispruden-
tia

studio ac singulari Humanitate permisit Nobiliss.
ac Celeberrimus ISELIUS, eximiis in Historiam
patriam meritis Spectatissimus. J. B.

tia Tuis ornamentis splendescat; unus omnium
augustissimo videris esse ingenio. Non vereor,
ne, si laudes Tuas singulas non persequar, pigri-
tiæ vel inertiae crimen incurram. Nam nec ma-
gnitudo meritorum Tuorum in angustias epistolæ
concludi potest, nec splendor doctrinæ hac ora-
tionis obscuritate exprimi. Illud vereor, ne Tuæ
laudi prædicator reperiri possit nemo. Cum enim
is demum justum alienæ laudi præconium tribuat,
qui tantumdem laudis ipse mereatur; ne vel ob
inscitiam in obtrectationem vel ob benevolentiam
in adulationem incidat: quis est, qui doctrinam
suam cum Tua conferre audeat? Ne ex doctissi-
ma quidem Ciceronis ætate quisquam exurget,
cujus ingenium ad Tuum accedat. Nam Varro-
nes possunt illi quidem cives suos in urbe sua pe-
regrinantes errantesque tanquam hospites domum
deducere, ut aliquando, qui et ubi sint, agno-
scere queant: possunt iidem ætatem patriæ, de-
scriptiones temporum, sacerorum jura; sacerdo-
tum, domesticam et bellicam disciplinam; se-
dem regionum et locorum; omnia divinarum
humanarumque rerum nomina, genera, officia
causas aperire; plurimumque poëtis omninoque
Latinis et litteris lumen afferre et verbis; atque
philosophiam multis locis innovare: sed quæ tan-
dem est hæc laus, etiam si vel ipsa paucis con-
tingat? Omnino qui TE præstantiore laude non
ornaret, quam qua Cicero doctissimum ætatis
suæ virum ornat; (a) is sibi vel invidiæ vel ig-
norantiæ notam inureret, ac Germaniæ nostræ
gra-

gravissimam afferret injuriam. TIBI enim aut neminem aut vix quenquam exæquare potest ulla memoria. TU enim non nostræ solum Europæ litteras et artes illustras, sed vetustam quoque Serum interiorem sapientiam in lucem revocas; ut doctrina et merita Tua iisdem spatiis, quibus ipsæ litteræ, terminentur. Quæ cum ita sint; merito, ut dixi, TE mihi ob oculos pono, dum Geographiæ veteri, quam TU quoque nuper luxatam correxisti et sanasti, ex diurno morbo veterem colorem reddere conor.

Est videlicet Cæsar's quidam locus, cuius fides Cluverio suspecta est. Recessit is ad finem capituli II. libri I. de bello Gallico, his verbis definitus: *Helvetii pro multitudine hominum, & pro gloria belli atque fortitudinis, angostos se fines habere arbitrabantur, qui in longitudinem millia passuum CCXL. in latitudinem CLXXX. patebant.* De his verbis Cluverius in Germaniæ Antiquæ libro II. c. 4. pag. 11. judicium illud expromit: *Hæc dimensio si examinetur, falsa utrobique deprehenditur.* Quippe summa Helvetii agri longitudo est inter Rhenum sive lacum Brigantinum, qua Constantiam oppidum is alluit, & Genavam urbem, millium passuum CLXXII.; latitudo vero maxima inter Arolam & ortus Rhodani Rhenique millia passuum LXXVI. Itaque longitudini LXVIII. passuum millia ultra, quam æquum erat, Cæsar addidit; latitudini vero CIII. Quem errorem non incurioso, uti quidam volunt, librario; sed Cæsari ipsi adscribendum censeo. Gravis in Cæsarem sententia, quæ fidem ejus pene omnem evertat, aut certe infirmet. Quid ergo? Cluverii potior nobis et antiquior auctoritas, an Cæsar's? vincat ratio,
veritas,

veritas, auctoritas intelligentium. Sed uter tandem intelligentior, Cæsar, an Cluverius; Ab utrius parte veritas stat et ratio? Hoc nimur quæritur, hoc disceptatur, imo pugnatur. Ex rationum conflictu veritati quæratur victoria.

Cluverius longitudinem Helvetiæ CCXL. M. passuum ad pudendam brevitatem redactus, circumspicit limites Helvetiæ ab ipso Cæsare constitutos. Deprehendit autem Helvetios a Cæsare in hos limites includi: *Undique loci natura tuti Helvetii continentur, una ex parte flumine Rbeno latissimo atque altissimo, qui agrum Helvetium a Germanis dividit; altera ex parte, monte Jura altissimo, qui est inter Sequanos & Helvetios; tertia, lacu Lemanu & flumine Rhodano, qui provinciam nostram ab Helvetiis dividit.* (a) Ex his terminis Cluverius concludit, Cæsarem boni ratiocinatoris partes minus tueri, qui tantulæ locorum angustiæ tantum passuum numerum assignarit. Ipse ut fidem ratiocinatoris consequatur, Helvetiorum fines cura ius sibi persequi videtur. Eos igitur usque ad Rhodani ripam, fontibus proximam, negat prolatandos, quod vallis, quam Rhodanus a fontibus discedens dirimat, ab aliis populis circumsessa fuerit; Ergo eos jugo montium illo, quod inter Helvetios et vallem, Rhodani alveum, intercedit, terminat. Neque deinde fines Helvetiorum ad fontes Rheni protendit, quippe quibus Rhætorum circumfusa fuerit multitudo. Denique agro Helvetiorum, a Geneva septentriones versus usque

(a) *Comment. de B. G. libr. I. cap. 2. sect. 4.*

que ad fontis Dubis fluminis , Juram prætendit ; qui mons dextram Dubis ripam usque ad vicum Petraportas prosequatur , inde in ortum æstivum sinistram amnis Arolæ ripam cingat , donec eum ad oppidum Confluentes in Rhenum perduxerit . Quamobrem ab Helvetiorum ditione etiam agrum illum excludit , in quo Basilea , Lichftalium , Siscum , Lauffenberga , Rhenofelda confederunt .

Admiror viri erudití egregiam diligentiam et ac-
curationem . Omnia enim conquisísse videtur ,
quæ disputatori candido circumspicienda sunt . Co-
gnoscit et inquirit terminos accurate , ut concor-
det in caufa , de qua disceptatur : interjectum
deinde spatium metitur curiose , ut numerum pas-
suum reperiat : Denique repertum numerum cum
Cæfaris calculis comparat . Ex comparatione au-
tem emergit numerus nimio major , quam con-
cedere veritas videatur . Ergone vero Cæsar non
recte ad calculos revocavit Helvetiæ fines ? an re-
nondum explorata , judicavit , & lectoribus im-
posuit ? Ita sentit Cluverius ; sentit Valesius ; (a)
sentit item , dubitanter tamen , diligentissimus &
recentissimus Geographiæ veteris corrector , in
quo magnum Germaniæ nostræ lumen extinctum
esse graviter dolemus . (b)

Nos Cæsarem recte & sensisse & scripsisse judi-
camus ; sed aliter atque oportebat , sententiam
ejus acceptam esse . Quod ut demonstrem , po-
stulo

(a) *Notit. Gall.* p. 243.

(b) *In notis ad Cæfaris Comm. de B. G. Ic. 2.*

stulo mihi concedi, vel, ne quam spem nimiam
 ingrediar, tantum pono paucas quasdam enuntia-
 tiones, ex quibus asseverationis & interpretationis
 nostræ veritas profiscatur. Primum igitur eam
 esse germanam cujusque scriptoris sententiam pu-
 to, quæ non solum cum perpetua ejus narratio-
 ne & proposito, sed etiam cum ceteris rebus,
 dubiæ caussæ & affinibus & lucem affudentibus,
 belle congruit; commentitiam contra, quæ finis
 & temporum scriptoris solidam & expressam effi-
 giem non tenet. Ita, ut exemplo rem declarem,
 cum veritate congruere videtur, quod veteres
 scriptores narrant, ab Imperatoribus Germano-
 rum in Palæstinam susceptas esse expeditiones con-
 tra Saracenos. Horum enim opes quotidie magis
 efflorescentes, Imperatoribus orientis perniciem
 allaturæ videbantur; tanti mali contagio ne ad fi-
 nitimos serperet, metuendum erat. Præterea
 Pontifices Romani potentiae suæ serviebant, quam,
 Imperatoribus tam longinquo bello distractis, op-
 time constabilire poterant. Denique supersticio
 tempora illa tanquam pestis quædam invaserat,
 ut mirum non sit, rebus inanibus, & in his Pa-
 læstinæ, numen ac divinitatem quandam puerili-
 ter afflictam esse. Hæ rationes omnes conspirant
 ad firmandam illorum scriptorum fidem, qui Ger-
 manorum Imperatoribus expeditionem in Palæ-
 stinam tribuunt. Contra si quis Ludovicum Ba-
 varum in Brasiliam trajecisse milites dicat, ut re-
 gios Narsesis spiritus reprimeret; is audiendus
 non esset: quia Chronologorum & Geographo-
 rum rationes repugnarent. Tales autem repug-
 nantiæ

nantiæ concoqui non possunt, nisi forte ab ingeniis Judaicis. (a)

Pono deinde, eam sententiam, quæ ex conflictu sermonis plurium auctorum veterum sine appositione & detractione recentiorum conjecturarum elucet, illi sententiæ præferendam esse, cui a recentioribus scriptoribus multum fuci pigmentique allinitur. Ita resurrecturos esse aliquando mortuos, ex epistola Pauli ad Thessalonicenses, ex epistola ad Hebræos, ex multis Christi sermonibus omnino constat. Hujus igitur sententiæ simplicitati plus tribuendum est fidei, quam si beati tantum ad vitam reddituri dicantur, vel facinorosi tantum, vel in Palæstina sepulti, vel Mohammedani soli, vel universæ etiam herbæ & lapides.

Tertio pono, libros manuscriptos pluribus in locis corrupti potuisse, & aliquando corruptos esse. Nam, ut reliqua argumenta prætermittam, summa lectionum varietas ac diversitas nullo ex fonte alio manare potuit, quam ex Librariorum & Criticorum vel inscientia, vel malitia & negligencia.

Quarto pono, eos locos corruptos esse, & facile corrupti potuisse, qui vel communi omnium diligentium scriptorum consensui repugnant, vel indoctioribus aut similitudine nominum &

Tom. VII.

G

scriptio-

(a) Multæ enim tales per totum Zemach Davidis Ganzii dispersæ sunt.

scriptionis, aut alia quavis obscuritate imponunt; vel denique, ne longus sim, tempestatum & tinearum injuriæ fuerunt expositi. Singula monita singulis exemplis illustrabo. Primi moniti hoc erit exemplum. Si quis scriptor seculi duodecimi reliquæ orationi aliquid contexeret, quo negare videretur, ullum Imperatorem Germanicum in Palæstinam movisse; tum non male sentiret, si quis illud præter scriptoris opinionem in reliquam ejus orationem irrepisset, vel ab aliena manu insertum esse suspicaretur. Alterius moniti exemplum habeto istud: *Latus & locus, patrare & parare, Apameani & Appiani*, & similia verba facile potuerunt a librariis vel commutari vel immutari. Ad tertium momentum ponderandum memineris, res Geographicas, præsertim exterorum, a cognitione mortalium fere esse remotiores. Hinc Varrillasii errores nati sunt, hinc Erasmi, & multorum aliorum. Denique Aristotelis libros & Clementis epistolas, quia fuerunt a vermis exesa & compuncta, misere corrupta esse, nemo temere mirabitur. Has nunc admonitiones revocabimus ad usum, & ad caussam propositam accommodabimus.

In ea igitur oratione, ex qua fines Helvetiorum metitur Cluverius, non id sibi proponit Cæsar, ut accurate nobis fines Helvetiorum designet, sed fallaciam quandam Orgetorigis colorat, qui Helvetios, naturæ præsidiis fere undique septos ad belli gloriam stimulaturus, (a) majori eos forti-

(a) *Scienter dico fere undique, & paulo ante colorat. Patebat enim Helvetia Rhætis & Vindelicis,*

fortitudinis opinione studuerit implere, quam homines per se jam temere nimium inflati, impletandi erant. (a) Hanc Cæsaris sententiam esse, conspectus ipse verborum ejus declarat. Quare cum veritate consentit. (b)

Deinde, quod ad caussam cognoscendam maximum momentum habet, Cæsar eadem in oratione Helvetiorum agrum non toto Rheno flumine definit, sed ea solum parte, quæ illum a Germania dividit. Germania enim Cæsaris ætate non ad lacum Acronium nec ad Alpes protendebatur, sed parte Rheni & Danubii majore continebatur. Quibus terminis eadem circumsepit Tacitus quoque. (c) Germania omnis, inquit, a Gallis Rhætiis. que & Panoniis Reno & Danubio fluminibus separatur. Item Strabo: Λέγωμεν, inquit, τὰ ἴλλυρικά πρῶτα, συνάπλοντα τῷτε Ἰσρῷ καὶ τοῖς Ἀλπεσιν, καὶ κεῖται μεταξὺ τῆς Ἰταλίας καὶ τῆς Γερμανίας, ἀρχέμενα ἀπὸ τῆς λίμνης τῆς καλὰ τὰς Ουΐνδολίνες καὶ Ραιλες

G 2

καὶ

aliisque, quorum excursionibus perpetuis vexabantur. Strabo libr. IV. p. 206. Patebat a Rhodano, qui non nullis locis vado transitur. Cæsar B. G. I. c. 6. s. 2. Patebat ab ea parte quam muro & fossa XIX. M. passuum clausit Cæsar. Id l. c. 8. s. 1.

(a) Ad Cimbrorum adventum quieti fuerant & pacis studiosi Helvetii. Cimbris adjuncti, fuerant cæsi viisque. Strabo. VII. p. 451. Iterum deinde a Cæsare debellati. Ubi igitur illa fortitudo, quam Cæsar prædicat?

(b) Per Postul. I.

(c) German. cap. I.

ηγὴ Τοινίας. (a) De Illyricis dicendi faciamus initium, quae Istro sunt & Alpibus finitima, atque inter Italianam, & Germaniam interjecta. Oriuntur autem a lacu Vindelicorum & Rhætorum & Tugiorum. (b) Conspirat in eandem sententiam ipse Cluverius, qui Germaniæ terminos, inter Marcomannos ac Rhætos, constituit in montis jugo illo, quod XX. M. passuum supra fontem Danubii ad Dutlingam, oppidum amni appositum, exurgens, in meridiem ad lacum Acronium & oppidum ei adjectum Ratolfi cellam extenditur. (c) Et si maxime repugnaret Cluverius, tamen & Dio Cassius & Strabo repugnantem reprimeret. Neuter enim unquam in illorum temporum sententia proponenda titubat. Dio quidem (d) eleganter Cæsaris verba explicat, ita scribens: 'Ο 'Ρῆνος ἀναδιδωσι μὲν ἐκ τῶν Ἀλπεων τῶν Κελτιβήρων, ὄλιγον ἔξω τῆς Ραιλίας προσχωρῶν δὲ ἐπὶ δυσμῶν ἐν περισερᾶ μὲν τύπε Γαλατίαν καὶ τὸς ἐποικεῖταις αὐτὸν. ἐν δεξιᾷ δὲ τὸς Κελτών ἀπολέμνειαι, καὶ τελευτῶν ἐς τὸν Ωκεανὸν ἐμβάλλει. οὗτος γὰρ ὁ ὄρος ἀφ' οὗ καὶ ἐς τὸ διάφορον τῶν ἐπικλήσεων ἀφίκοντο, μεῦρο σεῖ νομίζεται. Rhenus oritur ex Alpibus Celeriborum paulum extra Rhætiam: progressus autem ad occidentem a sinistra quidem Galliam & eos, qui illic conserderunt; a dextera vero Celtas dividit, & ad extremum in Oceanum infunditur. Hi enim fines, etiam ex quo discrepare nomina cœperunt, iidem tamen perpetuo

(a) Pro Toinias legendum forte Tzivias. aut, ut Casaubonus vult, Boicus.

(b) Geogr. VII. p. 481.

(c) German. Antiq. libri III. cap. 4. p. 10. II.

(d) Libr. 39. p. 137.

tuo existimantur. Præclare hic tum demum Rhenus intercursu suo Galliam & Celticam seu Germaniam distinere dicitur, cum ad occasum se inflectere cœpit. Ex Strabone præterea duos attingemus locos, ex quibus idem appareat. Unus extat libro XII., ubi communis illorum temporum sententia sic declaratur: (a) Προσάρκια μὲν ἐν ἐσι τῷ Ἰσρω τὰ πέρσεν τῷ Ρήνῳ καὶ τῆς Κελτικῆς. Ταῦτα δὲ ἐσι τάτε Γαλαῖα ἐθνη καὶ τὰ Γερμανικὰ μέχρι Βασαρῶν καὶ Τυρέηγελῶν καὶ τῷ πόλαμῷ τῷ Βορυθένῳ, καὶ ὅσα μείζου τῷτῷ καὶ Τανάϊδος καὶ τῷ σόμαῖος τῆς Μαιώτιδος, εἰστε τὴν μεσόγαιαν αὐτοίνες μέχρι τῷ Ωκεανῷ καὶ τῇ Ποντικῇ κλύζεται Θαλάττῃ. Μεσεμβριαὶ δὲ τὰ Ἰλλυρικὰ καὶ τὰ Θρακικά, καὶ ὅσα τύτοις αὐτομέμικται τῶν Κελτικῶν ἢ τινων ἄλλων μέχρι τῆς Ἑλλάδος. Quæ igitur, trans Rhenum & Celticam, ab Istro ad septentriones vergunt terræ, eæ complectuntur omnia, quæcunque Galli & Germani tenent usque Bastarnas & Tyrrhegetas & omnem Borysthenem & quæcunque inter hunc & Tanaim & ostium Mæotidis in interiora usque ad Oceanum extenduntur, marique Pontico alluuntur. Quæ autem ab Istro meridiem spectant terræ, Illyricæ & Thracicæ, & quicquid his admistum est gentium Celticarum aut aliarum quarundam usque in Græciam. Alterum Strabonis locum hunc habeto: (b). Λοιπὴ δὲ ἐσι τῆς Ευρώπης ἢ ἐνīος Ἰσρε τῆς κύκλω Θαλάττης; αρξαμένη ἀπὸ τῷ μυχῷ τῷ Ἀδριατικῷ μέχρι τῷ iερῷ σόμαῖος τῷ Ἰ-

(a) Pag. 443.

(b) Libr. VII. p. 480.

πρὸς τὴν Ἀδριατικὴν θάλασσαν τὰ Ἰλλυρικά
δεῖ δὲ αὐτὸν τῷ Ιστρῷ τὴν αὔχην ποιήσασθαι τὰ ἐΦΕ-
Ξῆς λέγοντας τοῖς περιωδεύεστι τόποις ταῦτα δὲ
ἐστὶ τὰ συνεχῆ τῇ Ἰταλίᾳ τε καὶ τοῖς Ἀλπεσι καὶ
Γερμανοῖς καὶ Δάκαις καὶ Γέταις. Reliqua pars
Europæ inter Istrum & circino quasi circumductum
mare interjacet, orsa a sinu Adriatico, & ad sacrum
Istri ostium protracta. Ad Adriaticum mare accedunt
Illyrica. Et ab Istro quidem primordia sunt capienda iis,
qui cum terris, finibus hisce circumscriptis, cohærentia
volunt dicere. Sunt autem ea, quæ Italiam, & Al-
pes, & Germanos & Dacas & Getas attingunt. Ap-
paret igitur, a lacu Acronio Illyrica orta esse.
Ergo Cæsar quia tantum fines Helvetiorum Ger-
maniam attingentes memorat (a), ab ea Rheni
parte, quæ lacum Acronium Illyricumque mag-
num spectat, Helvetiæ nullos fines constituit.
Quamobrem si quis veterum scriptorum ultra
istum lacum in Illyricum magnum Helvetiæ ter-
minos prolatarit; nobis quoque eos, nec Cæsare
nec veritate repugnante, ultra proferre licebit. (b)

Quid igitur, si Helvetiorum fines ad Bojos us-
que protendamus? Tacitus certe illos ad Bojos
usque dilatare videtur. Igitur, inquit, inter Her-
ciniam

(a) Dicit enim, Reno, qui agrum Helvetium
a Germanis dividit. Illud Qui est determinativum,
non explicativum, ut Logici loquuntur. Si enim
dicam Caius perit in Danubio, qui Hungariam su-
periorem ab inferiore dividit, significo quandam Da-
nubii partem, non totum Danubium.

(b) Per postul. I.

ciniam silvam, Rhenumque & Mœnum amnes Helle-
tii, ulteriora Boii, Galica utraque gens tenuere. (a)
Hæc autem verba, si accipientur simpliciter,
Helvetiis omnes eas terras, quæ inter Herciniam
silvam Rhenumque & Mœnum intercedunt, as-
signare videntur. Assignant igitur Marcomanno-
rum, Sedusiorum, Harudum, Nariscorum, Her-
mundurorum, fortassis etiam Vindelicorum sedes,
eam vero sedem, quam Cæsaris memoria tene-
bant, quamque Tacitus unice spectasse videtur, (b)
ab Helvetiis abjudicant. Quæritur igitur, quo
tandem tempore terras Rheno, Rhodano & Jura
monte conclusas occuparint Helvetii: Per quas
gentes, ex amplissimo terrarum tractu in tantas
angustias, ex agris in asperimas montium late-
bras, compulsi sint: Quomodo terras eas, quas
& Marcomanni, & Harudes, & Sedusii colebant,
uno eodemque tempore si summam inducit re-
pugnantiam: Quando tandem a Boiis, Bojohem-
mum tenentibus, tanto locorum intervallo sejun-
cti sint Helvetii, quanto Cæsaris ætate sejuncti
fuisse, nunc quidem creduntur? Cur Cæsar, cum
eos scribit sibi visos esse angustis terminis circum-
scriptos, (c) non addat, pro veteribus eorum termi-
nis, qui latius patuerant? huic enim narrationi com-
modissimus hic erat locus. Sed quid multa? Ta-
cito [si his ex verbis sententiam ejus exquiramus]
repugnat communis omnium, etiam diligentium,

G 4

scripto.

(a) *Tacit. Germ.* c. 28. f. I.

(b) *Vid. Cluverii German. Antiquæ libr. III. cap.*

(c) *Libr. I. Bell. Gall. cap. 2. s. 5.*

scriptorum fides; repugnat in primis Cæsar, quem
is tamen perlustravit, & hic unice sequitur; repu-
gnat etiam ratio. Ergo locus corruptus est. (a)

Corruptelæ igitur medicina quærenda. Eam si
chirurgia præcipue curandam putas, nihil errabis.
Etenim de *Mæno* si rescindas primam literam, re-
linquetur *OEnus*. *Onuſe* autem vel *Ænus* fundit
sententiam convenientem numeris Cæsaris; &,
ut opinor, omni antiquitati; quantum quidem
ejus ad nos inviolate pervenit. Nam extrusa pri-
ma litera *Mæni*, redibunt Helvetii in veteres suos
& notissimos terminos. Circumscribentur enim
primum & silva Hercinia, deinde Rheno Galliæ
& Germaniæ limite, deinde Jura, denique Rho-
dano. Corruptio loci Corneliani nasci potuit,
uti nata est, ex ignotiori nomine fluminis *Æni*,
in cuius locum librarius *Mænum* subdidit. Om-
nino *Æni* nomen obscurius & minus tritum fuit.
Nam in eo scribendo turpiter alibi quoque lapsi
sunt librarii. (b) Non autem si Helvetii *Æno* flu-
mini affusi fuerunt, iccirco per omnem *Æni* ri-
pam ita diffusi erant, ut Danubium quoque at-
tingerent. Nam id nos nequaquam asseveraveri-
mus. Boji enim inferiorem illam *Æni* partem,
quæ ad Danubium vergit, obsidebant: Helvetii
superiorem, quæ ad Rhenum amnem quam pro-
xime inclinatur. Etenim jam Cæsaris tempori-
bus Boji eas terras, quæ *Æno* inferiore alluuntur,
inse.

(a) Per Postulat. 3. & 4.

(b) Ex. cauf. in Taciti III. histor. cap. V. sect. 5.
ubi Rhenanus primum *Ænum* reposuit.

insederant. Sic enim Cæsar ipse, Bojos, inquit, (a) qui trans Rhenum incolebant, & in agrum Noricum transierant, Noreiamque oppugnarant, receptos ad se socios sibi Helvetii adsciscunt. Hic primum advertendus animus ad locum, ubi Cæsar composuit commentarios de bello Gallico, scilicet in itinere per Alpes, cum ex citeriore Gallia, conventibus peractis, ad exercitum rediret: (b) Ergo trans Rhenum eæ potissimum terræ erant, quas Rhenus intersecat. Deinde perpendenda sunt singula verba diligenter. Dicit Cæsar, Bojos trans Rhenum sedes habuisse, non trans Danubium; deinde eosdem Bojos ab Helvetiis ad se receptos & pro sociis adjunctos esse. Si recepti sunt ab Helvetiis, eis antea conjunctissimi fuerint, oportet. Omnino igitur de tota Cæsar's oratione, si me audias, ita senties; Bojos tum eas tenuisse terras, quas etiamnum Bojohemum appellamus, & pertinuisse ad viciniam Vindelicæ & magnam partem Æni ripæ. Horum autem qui ad Ænum assederant, colonias, in agrum Noricum profecturas, transiisse Ænum, & ab oppugnatione Noriæ statim ab Helvetiis ad societatem expeditonis Gallicæ receptas esse. Cæsarem autem siccirco domicilium eorum declarasse, ut ab iis Bojis eas secerneret, qui trans Danubium in Bojohemo se tenebant. Ita manebit illibata veritas annalium vetustissimorum, qui Bojorum sedem, in Bojohemo etiam ad maturäsentem Augusti ætatem protendunt, quæ tamen sedes deinde propter Ma-

G 5

rabodui

(a) B. G. I. cap. 5. sect. 4.

(b) Sueton. in Cæs. c. 56.

rabodui vim angustioribus terminis circumscripta videtur, (a) perinde ut Sequanorum propter vim Ariovisti. Manebit sua Cæsaris orationi perspicuitas; manebit antiquarum rerum facies & eventuum fides. Nam nusquam ne minimum quidem vestigium extat belli, quod inter Bojos & finitimos Vindelicos exarserit de nova sede. Neque vero credibile est, bellum ea de re conflatum esse nullum inter populos ferores & bellicosos, quales & Boji tum erant & Vindelici. (b) Sed quorsum omnis hæc argumentatio, quasi de re dubia & lubrica? Nonne ipse quoque Cluverius illorum Bojorum, qui Galliam Cisalpinam emensi ad Venetos se aggregaverant, & mox inde pulsi Alpes transierant, antiquissimam in transrhenanis regionibus sedem agnoscet, quæcunque tandem ex scriptore gravi demonstretur? At ex Strabone constat, Bojos ex Gallia Cisalpina pulsos circa Danubium Tauriscos inter populos consedisse. At Taurisci, ut concedit Cluverius, a Noricis & Vindelicis

(a) *Velserus Rer. Boicar. lib. II. pag. 49.* negat Bojos propter Marcomannos sedem mutasse, sed veterem, amissa libertate, retinuisse. Eum refellere conatur Cluverius, sed minus prospere. Ego vero partem gentis Boicæ in Bojohemo relictam fuisse puto, partem in Noricum recessisse, reliquos jam antiquitus ad flumen Ænum incoluisse. Rationes hujus sententiae post ex Strabone demonstrabo.

(b) *De Vindelicorum fortitudine passim Strabo:* De Bojorum iecirco dubitare non licet, quod expulsos in confiniis Pannoniæ novam sibi sedem perperisse contendit Cluverius.

delicis sono discrepant, re conveniunt. (a) Ergo Boji jam multo ante, quam ex Bojohemo sunt exterminati, Ænum circumfederunt. Accipe Strabonis verba: *Romani Bojos ex vicinia Venetorum ejacerunt, qui deinde occupatas circa Danubium regiones cum Tauriscis coluerunt. Dacis bello molesti, donec ipsi funditus exciderentur. Illyricas autem regiones, ovibus pascendis accommodatas, finitimi reliquerunt Daci.* (b) Ultima Strabonis verba belle & nervose Bojorum terras Illyricas sejungunt a Germanicis. Nam nisi Boji extra Illyricum magnum, hoc est, in Germania quoque, tenuissent agrum; inepte Strabo Illyricum meminisset, quum jam sine isto vocabulo clara esset & perspicua oratio. Quare a primordio constitutæ sedis transrhenanæ usque ad interitum suum Boji & cis Danubium coluerunt & ultra.

Sed, ne quid dissimulem, sunt momenta, propter quæ fortassis alii veterem opinionem præponderare putent. Unum est, quod ex nostra correctione termini Helvetiorum non satis signentur. Etenim ab una tantum parte Rhenum & Herciniam silvam, ab altera Ænum circumduci; tertium vero latus & quartum silentio præteriri, quod Tacitus præterire nequiverit. Sed in proclivi est responsio. Nam Cæsar quoque prætermisit tertium & quartum latus in designandis Helvetiorum terminis; (c) ut mirum non sit, Tacitum

(a) *De Vindelic. cap. 2.*

(b) *Lib. V. pag. 325. 326.*

(c) *Cluverius certe quartum prætermissum esse concedet.*

tum itidem duo præteriisse. Neque Tacitum necessitas urgebat, ut latera jamdiu nota, nota ficeret. Neque enim Romanum quemquam fugiebat, Helvetiam finibus Allobrogum interseptam esse a reliqua Gallia; Alpibus ab Italia.

Alterum momentum, quod in veterem opinionem inclinet animos, illud est, quod Tacitus, dum Gallos in Germaniam transisse conjectat, recte Helvetios & scienter Rheno, Mœno & Hercinia silva circumscriperit; Rheno, Æno & Hercinia silva circumscribere non potuerit. Hunc enim tractum ad Illyricum magnum spectare; illum ad Germaniam. Sed hoc momentum nullius est momenti. Tacitus enim Helvetiis plane nullam in Germania sedem assignat, sed in Helvetiorum mentionem incidit iecirco, quod Bojos Gallos, Germaniæ quandam partem insidentes, persequendos sibi sumserat. Pariter enim, dum Osos in Germania cupit attingere, Araviscos Pannonicam gentem, admiscet, quod similes utrorumque mores, sermo, instituta eandem originem prodere videbantur. Non igitur Helvetios in Germania collocat, sed propter Bojos, qui in Germania sedem collocarant, atque etiam magnam partem occuparant, Helvetiorum fines perstringit. Digna est hæc ratio, quæ curate expendatur. Non enim ulla temere invenietur, quæ pribus eam ponderibus libret. Deinde non repugno, paucos Helvetios in Germaniam transtulisse domicilium. Cum enim Helvetios & Marcomannos Rhenus secerneret, horum autem ingentein multitudinem Ariovistus ad se trans Rhenum illectasset; ab Helvetiis quibusdam partem

vacuae

vacuæ sedis statim occupatam esse, rationi consentaneum est. Et hi quidem Hercinia silva præcipue septi suisse videntur, quæ a finibus Rauracorum, Nemetum & Helvetiorum recta fluminis Danubii regione ad Dacos & Anartes protendebatur. (a)

Denique ante Germanos Helvetiorum iccirco erat mentio facienda, quod itinerum & ipsius naturæ ductum sequi statuerat Tacitus. Nam Romani, quod neminem fugit, in Germaniam excursioni, per Helvetios iter faciebant. (b) Itaque Tacitus non in Germania collocat Helvetios, sed quia proxime ad Germaniam accedebant, iccirco eos ante Bojos reliquosque incolas Germaniæ ponit. Exemplo rem illustrabo. Si quis Germanus hodie nationes Gallicas recte persequi vellet; tum sine dubio vicinorum confinia primum demonstraret. Igitur, si ex Helvetia in Galliam ingressurus esset, primum Genevensium fines, urbi in figuram litteræ o circumductos, explicaret; tum Bressiacis suos poneret terminos; post ad Delphinatedum & Provinciam pergeret, ac reliqua. Sed ex hac Genevensium commemoratione illud effici conflareque non posset, Geneveses etiam Galliæ finibus contineri. Contrarium enim ex infinitis horum temporum scriptoribus eluceret. Quare hoc unum relinquatur, ut in eam veniremus opinionem, Germanum istum iccirco tantum Geneveses præmisisse Bressiacis, ut appareret, unde primordia cepisset narrationis suæ. Sculptores quidem

(a) Cæsar VI. Bell. Gall. c. 24.

(b) Strabo passim. vid. libr. VII. p. 448. 449.

quidem insectatur nemo, qui Germanos Polonis, Hungaris, Italis, Gallis & Belgis circumsepiunt. Nec enim curiosis lectoribus ex ea re confusionis periculum impendet, nec aliter Germanorum fines aut cœlo rectius fingi aut mente depingi possunt. Cur igitur Geographum nostrum oneremus convitiis, quod in enumerandis Germanorum gentibus a Bojorum terris exorsurus, primum Helvetiorum finitimi rum terminos designet, deinde Germanos ipsos persequatur.

Hactenus igitur pervenimus, ut ex Tacito & Cæsare fines Helvetiorum Bojorumque ad Aenum flumen coniungeremus. Idque una litterula, ex corruptis Taciti verbis detracta, perfecimus. Jam ex Strabone quoque terminos Bojorum & Helvetiorum coarctabimus. Is nobis hæc verba perlustranda reliquit. (a) *Alpium partes, quæ post Salassos ortum spectant, & in meridiem vertuntur, Ræti & Vindelici tenent, contermini Helvetiis atque Bojis, quorum campis imminent.* Hæc verba quamvis nihil obscuritatis habeant, tamen a Geographis obscurantur, dum varie ad ipsorum operationes & præjudicatas opiniones torquentur. Cluverius enim (b) & assectatores (c) ea sic accipiunt, quasi utrique, & Rhæti & Vindelici, Helvetios confino tetigerint; Vindelici autem soli ab ortu Bojos, quorum campis imminerent. Sed, si quid ego video, simplicitas orationis Strabonianæ non patitur

(a) *Geograph. IV. p. 315.*

(b) *De Vindelic. c. 3. pag. 10. & 12.*

(c) *Liber. II. Geogr. antiqu. cap. 7. p. 524.*

patitur illam disjunctionem; protendit enim ad Bojorum & Helvetiorum campos fines utrorumque, & Rhætorum & Vindelicorum. Hujus igitur loci recens expositio, tanquam a Strabonis mente aliena, recte repudiatur. (a) Non licet autem cuiquam dubitare, quin Bojorum fines ad Rhætos proferendi sint proprius, cum Rhætorum termini longius protendi nequeant; ut omnibus satis liquet eruditis. In hanc autem productionem finium Boicorum ne temere videar incidisse; demonstrabo viam, quæ vel repugnantem huc abstrahat.

Nimirum si ego, ipsius Strabonis auctoritate, fines Bojorum usque ad lacum Brigantinum prolataro: non licebit dubitare, quin Rhætorum quoque fines ad Bojos pertinuerint. Strabo igitur cum ad lacum Brigantinum Rhætos & Vindelicos collocasset, addit eis alios populos, & Alpes ipsas & Alpium confinia insidentes. *Rhenus*, inquit, *magnus in paludes magnumque lacum effunditur, quem Cereti & Vindologi attingunt*, (b) *Alpinorum quidam & Transalpinorum*. (c) Quinam autem Alpini & Transalpini huc referendi sint, si Boji & Helvetii non sint, equidem non video. Nam hic vetera monumenta nulli præterea genti vicinitatis jura tribuunt. Quid? quod in accolis Brigantini lacus nominatim Bojos numerat Strabo. (d) En ejus

(a) Per Postul. 2.

(b) *Legendum forte Rhæti & Vindelici, sed verba Græca etiam sunt depravata. Add. not. Casaubon.*

(c) *Libr. IV. Geogr. pag. 294.*

(d) *Libr. VII. pag. 449.*

eius verba: *Ceterum Tiberius a lacu [in quem Rhenus infunditur & in quo insula reredit, ex qua velut arce Tiberius bello naval i vexaret Vindelicos] unius diei progressus iter, Istri fontes intuitus est.* *Eius lacus exiguum partem Rhæti contingunt: maximam vero conjunctim & Helvetii & Vindelici, & Boiorum desertum, quod ad Pannoniam usque pertinet, omnes, maxime vero Helvetii & Vindelici, tenent montanas planities.* Quid clarius? quid testatius? quid luctulentius, quam Boiorum fines lacum Acronium attigisse paulo ante Tiberii imperium?

Sed vereor, ne propagatio hæc terminorum Boicorum evertere videatur, quæcunque supra posuimus fundamenta. Sic enim, ut Cluverius optat, Helvetii intra lacum Acronium comprehenduntur, & Cæsaris numeri passuum concident, quod utrumque nostris istis præceptis, quæ supra constabilivimus, inimicissimum & capitale est. Sed salva res est. Cohærent omnia, nisi temere divellantur & inconsiderate. Nam Cæsaris ætate Boji nondum attingebant lacum Brigantinum, sed cum ad Danubium & Albim, tum ad partem Æni ripæ diffusi erant. Circumfluebant autem juventute, ut in proximas eam terras dimitterent. Et quoniam eodem tempore Helvetii ex cavernis quasi & latebris suis erupturi erant, his eam tanquam sacrum ver adjungebant. Cumque tandem erupissent Helvetii, Boji ut eorum amici & finitimi statim succedebant in vacuas eorum possessiones, cis lacum jacentes. Qui tamen ipsi ultimo tempore, hoc est, paulo ante quam Augustus e vita decederet, a Dacis sunt extinti. In hanc sententiam, nisi fallor, omnia conspirant antiquitatis

quitatis monumenta. Sed ex adversariorum sententia nec cohærentiæ tantum elucet, nec eluere potest. Neque mirum. Tam enim ad sententiam nostram illustrandam apposita cum sint omnia; necesse est, ut ad dissentientium optata nihil sit alienius.

Ostendimus igitur, ut omnia dicta in unam summam conferam, Bojos Helvetiam confiniis attigisse; Hanc autem ad Aenum usque flumen protractam fuisse. Apparet igitur, spatiū illud, quod Rhenum & Aenum intercedit, facile explere septuaginta passuum millia, quæ Cæsar reliquo numero addidit, Cluverius rescidit. Diluimus etiam argumenta, quæ nostræ sententiæ maculam videbantur inutere. Quamobrem Cluverii fides minoris est momenti, quam Cæsaris. Quem ipsum quidem si omnia defecissent præsidia; tamen illorum temporum & occupationum ratio tueri debuisset, & ab obtricatione defendere. Occupationes enim tantæ illum distinebant, ut nec opinanti possent errores obrepere: nam unius hominis mens non potest in omnia simul æque intenta esse. Tempora vero tam erant inculta apud Helvetios, & ab humanitate litterarum aliena, ut Cæsar passuum numerum sine dubio ex itinerum tantum ratione collegerit, non ex dimensionibus Geometrarum. Non igitur, si maxime Cæsar a via aberrasset, cuiquam mirum videri debuisset, Cæsaris & Cluverii rationes inter se discrepare. Alter enim Geometricas sequutus esset, alter populares numerandi rationes. Quemadmodum autem apud nos Coburgo Jenam exeuntes LVI. millia passuum numerant, Geographi multo pauciora;

Propter ea quod alteri ambagum quoque rationem ducunt, alteri ambages præscindunt: ita Cæsar etiamsi a veritate recessisset, tamen inertiae pigritiæque culpa vacaret, quod ex itinerum ratione numerum passuum accuratius inite non potuerit. Ipse Strabo nonnunquam ex Geographorum doctrina, nonnunquam ex itinerum ratione distantiam locorum metitur. *Inter Rhenum & Albim*, inquit, *tria stadiorum millia intercedunt*, si quis recta possit uti via. Nunc autem paludum silvarumque ambages longioris viae necessitatem imponunt. (a) Alibi, *Dicitur Abydus*, inquit, *ab Æsepo septingenta stadia recessisse*; *rectum autem cursum tenentes in navigando pauciora numerare*. (b) Sed, ut ostendimus, excusationem Cæsaris ratiocinatio non desiderat, quod quidem ad longitudinem agri Helvetii pertinet. De latitudine vero, quam itidem graves adhuc difficultates circumstant, erit alibi disserendi locus.

Exposui igitur, VIR PERILLUSTRIS! conjecturas meas de locis quibusdam veterum scriptorum intelligendis corrigendisque, de quibus Tu pro singulari Tua & pene interminata vetustatis scientia omnium accuratissime sentire potes id, quod sentire veritas postulat. Mihi quidem in iis non fuso illitus, sed sanguine diffusus veritatis color inesse videtur: sed Tu, VIR EXCELLENTISSIME! veritatem, si qua inest, multo magis exploratam habebis & perspectam. Illud quidem video, quod, si hæc sententia mea TIBI album videatur

(a) *Strabo VII. p. 448.*

(b) *Id. libr. XIII. p. 885.*

videatur mereri calculum, eo quoque nomine
gavisurus sim, quod officii conscientiam, quæ
me adhue inquietum habuit, tranquillasse vide-
bor. Etenim operi, quod me suscepisse dudum
TIBI significavi, consilia Tua tantam lucem attu-
lerunt, ut nihil salubrius, nihil opportunius sua-
deri potuisse existimem. Gratias igitur TIBI jam-
diu persolvendas putavi, sed gravissima negotia
Tua & studia inanibus litteris interpellare nefas du-
xi. Merita quidem Tua vel tum satis mature præ-
dicatum iri videbantur, cum jam ipse conspectus
docere posset, satisne consiliis Tuis diligentia mea
responderet: sed properare jubebat eorum exem-
plum, qui suis inventis nec judicem acriorem,
nec patronum meliorem despiceret potuerant. Iis
autem ego quamvis præter conatum nulla forte
re alia conferti queam, tamen ne sic quidem fa-
cti mei mihi non constabit ratio. Nam nec e
longinquo sequi magna & præclara exempla in-
eptum videri potest & temerarium. TE rogo ob-
servantissime, ut gratiam Tuam erga tenuissima
studia mea in reliquum quoque tempus propages.
Tua namque benevolentia si proposita fuerit co-
nanti, ad majora eniti non cessabo. Vale.

